XXVI.
DISSERTATIO
DE
JURE VIARUM PUBLICARUM,

PRÆSIDE

D. CAROLO OTTONE THYLIO,
Sacri Imperialis Palatii Comite, Status Regiminis & Collegii Revisorii Electoralis Palatini Consiliario, nec non Curiæ Matrimonialis Directore atque Professore Jurium Primario,

Pro Licentia defensa à

LUDOVICO CAROLO Goldschmidt/ Mosbaco Palatino.

HEIDELBERGÆ, 1725.

CAPUT I.
DE DEFINITIONE ET DIVISIONE VIÆ.

§. I.

CUm usu vocum cognito quam sæpissime in rei ipsius perceptionem provehamur, idcirco omnino necessarium est, ante alia, ipsam vocis *Viæ* appellationem evolvere. Sic igitur, missis aliis derivationibus, illam amplectimur, quâ via dicitur quasi *veha*, unde in vernacula, Weeg, Wage. Martin. Lexic. Etymol. voc. via, & sic simul definitio viæ patet, sc. quod sit solum per quod vehitur, seu planius secundum l. 2. §. 51. ff. ne quid in loc. pub. quæ habet solum publicum relictum ac directum certis finibus in latitudine ab eo, qui jus publicandi habuit, ad hoc, ut in ea publice iretur commearetur.

§. II.

Viæ autem, vel *publicæ* sunt, alias Consulares, Prætoriæ vel militares, Heer- und Land-Strassen, quæ sc. tam amplæ sunt & patulæ, ut integer exercitus erectis hastis & vexillis per eas incedere & commeare possit, & ut intelligantur esse regiæ, Kayserliche, item des Heil. Römischen Reichs Strassen und Baanen vocatæ sunt, quæ porro etiam Glaids-Strassen appellantur

Vid. Besold. Thes. Pract. voc. Land-Strasse, Oettinger de jur. limit. l. 1, c. 9. Vel *vicinales*, eæque iterum vel in utilitatem totius alicujus Universitatis vel certi prædii constitutæ. Illæ *vicinales*, Feld-Weege, Dorff-Strassen, hæ aliquando *agrariæ* plerumque simpliciter Fahr-Weege vocantur.

§. III.

Hæ Jure servitutis in privato fundo competentes sub titulis Instit. & Pandect. de servitut. rust. tractantur, mei vero, quæ illuc pertinent, tractare, non est instituti, sed solummodo præcipua, quæ circa vias publicas observanda veniant, Deo annuente, exponere volo.

§. IV.

Hic tamen obiter adhuc notandum, istas sc. vias *vicinales*, agrariis oppositas, vel ex via publica versus vicos vel agros, rusticorum prata & sylvas decurrere, & aliquando in aliam viam publicam exitum habere, vel aliquando sine ullo exitu intermori l. 3. ff. de loc. & itin. pub. add. l. ult. de S. P. R. quarum illæ, quatenus à publicis vel privatorum agris factæ sunt, quarum memoria non extat, publicarum viarum numero sunt d. l. 3. ff. de loc. & itin. pub. Mindan. tr. de Interdict. tit. 3. n. 6.

§. V.

Huc quoque pertinent plateæ paganicæ, die Dorff-Strassen, quarum usum sed restrictum, pagorum Domini sibi vindicant, nempe ut plurimum linum aliudve frumentum inibi serunt, ita tamen ne viæ per vicum porrectæ neque ingressui in villas officiant, quod Jus jurisdictioni contradistinctum vocatur, die Dorff-Strassen-Gerechtigkeit, neque ad exstruenda ædificia vel arbores perpetui usus gratiâ plantandas extendi debet; singulis autem rusticis id non competit, nisi observantiâ vel præscriptione id acquisiverint, plura hac de re Vid. in Disp. *Gryphisvvald.* Præside Jo. Schack. habita.

CAPUT II.
DE USU VIÆ PUBLICÆ.

§. I.

HIs ita præmissis redeo nunc ad viam publicam. Hæc vero via publica seu regalis, potissimum consideranda est, ratione usus, refectionis & jurisdictionis.

§. II.

§. II.

Usus vero viæ publicæ promiscuè omnibus patet, cum sit juris gentium: sicuti enim societas inter homines à natura constituta est, consequenter quoque quæ ad illam conservandam pertinent, constituta esse necesse est; inter quæ & usum viarum, maxime respectu commerciorum, quæ ad supplendam rerum ad vitam necessariarum indigentiam, instituta fuere, ceu necessarium medium ad finem illum obtinendum, referendum esse, apud omnes in confesso est. Et quod omnia loca naturaliter debeant esse libera transeuntibus luculenter probat Jus Roman. in l. 3. ff. de J. & J. junct. l. 7. ff. de serv. export. l. 24. pr. de damn. infect. l. 2. §. 21. in f. nequid in loc. pub. publicè namque interest, sine metu & periculo per itinera commeari.

§. III.

Quemadmodum autem usus hic absque publica securitate obtineri non potest, per se jam fluit, semper ea loca, per quæ vulgo iter fit eandem securitatem habere debere, sunt verba l. 1. §. 1. & 2. ff. de his qui dejec. vel effud. add. ex sacris literis textum Numer. 20. v. 14. seqq. & 21. v. 21. seqq. quæ securitas nihil aliud est, quam immunitatis ab offensione, damno & quacunque alia injuria tam in persona quam rebus metuenda, justum præsidium, quod vulgo dicitur salvus conductus Germ. sicher Gelaid, de quo *infra* cap. 4.

§. IV.

Et cum porro ad usum viæ publicæ certum spatium requiratur, de hoc quædam dispicienda sunt. Hoc vero spatium de jure communi debet esse in porrectum, in der Gerade, octo pedum, in anfractum vero seu flexum, in der Krümme, sedecim, l. 8. ff. de S. P. R. cum quo convenit jus Saxonicum per text. in Weich-Bild art. 130. Land-Strassen die sollen zu recht haben in der Weite 8. Fuß, & tanta viæ latitudo requiritur, ut currus, sibi invicem obvii, sine remora prætervehi possint Sächsisches Landr. l. 2. art. 59. des Königs Strassen soll seyn also breit, daß ein Wagen dem andern ausweichen möge; quod cum in locis montanis effici atque angustia viarum emendari non possit dict. art. 59. disponitur: Daß der leere Waagen solle weichen dem Geladenen, und der minder Geladene dem schwerern, der Reitende dem Waagen und der gehende dem Reitenden, seynd sie aber auff einer Brucken und jaget man einen Reitenden oder einen zu Fuß, so soll der Waagen still stehen, so lang, daß sie mögen herfür kommen, und welcher Waagen zu erst auff die Brucken kommt, der soll zum ersten überfahren,

ren, er sey leer oder geladen, quod ita ab aurigis in Provinciis Germaniæ observati, experientia satis testatur.

§. V.

Si tamen eveniat in viis angustioribus, aurigas ob iter distortum, alii alios non advertentes, transitu impediri & neuter obviantium currum velit retroducere, quâ occasione inter aurigas plerumque à verbis ad verbera venire solet, ejus potior est conditio illique de jure cedendum, qui viam prior ingressus fuit; Speidel. in specul. voc. Fuhrmann, hanc rationem reddens, cum, quod in publicos usus destinatum, id primo occupanti concedatur: quam, vis & ipse moneat, discretionis ratione & seposito hoc juris rigore, ei, qui majori onere gravatur, sæpius parcendum esse, quod etiam frequentiori usu receptum esse, testatur apud cit. auth. von der Hoch singul. jur. singul. 21.

§. VI.

Usus vero viarum publicarum gratuitus est, nec olim pro transitu quicquam exsolvi oportuit. Vid. Lehman. Speyerische Chronick lib. 2 c. 44. ibi zu Zeiten der Fränckischen König, quo vero securior esset transitus, olim officium tuendi viatores ab invasoribus vel latronibus, certis personis demandatum, quibus merces aliqua pro comitandi opera soluta, quam vocârunt das Geleite, & præter conducendi officium, viæ, præprimis ubi per sylvas eundum fuit, certo tempore visitari debebant, quod vocabatur den Halt bereiten, der Haltritt, Vid. Schilter. disp. de Amtsassiis insert. Exerc. ad ff. p. 1. stabilita vero pace publica & sylvis magnam partem excisis, officium, conducendi desiisse (de quo plurib. infra) mercede nihilominus retenta, quam omnes viatores exsolvere simpliciter teneantur, sunt qui asserunt.

§. VII.

Verum controvertunt hic adhuc D. D. num pro solo transitu per vias publicas, aliquid nomine pedagii exigi possit? & qui affirmant, hac præcipue nituntur ratione, quod Princeps hodie vias publicas in territoriis ac provinciis suis jure regali posideant illarumque cura ac protectio ipsis incumbat, unde non immerito compensatio damni à transeuntibus petatur: quæ affirmativa etiam ex jure Romano defenditur v. l. 21. ff. de donat. inter vir. & uxor. e contra vero negat Jus Saxon. Landt-Recht l. 2. art. 27. verbis: Ein jeglich Mann soll auch Zollfrey seyn, er fahr, reit oder gehe & paulo post: und mit Recht sey er Geleits frey, wo er seinen Leib oder Gut-Waagen will, ubi tamen casus, wo er Schiffs und Brucken nicht bedarff, excipitur.

Vid.

Vid. Lehmann. loc. cit. quod &, nisi Dominus territorialis id ex privilegio vel præscriptione aut usu & consuetudine cujusque loci obtineat arg. R. J. August. de anno 1548. §. ferner zu noch mehrer, ibi: an Orthen es herkommen, verius esse, æquitati quoque propius accedere videtur. confer. Grot. de jur. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 14.

§. VIII.

Interim tamen in quibusdam casibus adhuc justè à transeuntibus seu viatoribus pedagium exigi potest, nempe si necessitas vel utilitas publica hoc efflagitet, vel alia justa causa subsit Klock. de ærar. l. 2. c. 77. n. 21. Everh. cons. 34. n. 26. ita ut non ineptè dicant, qui dicunt, totius hujus rei justitiam ab impensis immensis, quas in viarum & pontium refectiones & exstructiones item & conservationem viarum, damit die Weege und Steege in baulichen Weesen erhalten werden, adversus impetus & inundationas aquarum, tempestates, glaciem, imbres & ventos, Vid. Klock. d. l. collocari oportet, dependere.

§. IX.

Moressi spectamus, illi neque ubivis jus Saxonicum neque Jus Romanum sequuntur, in specie vero Judæi in nonnullis locis, prout in Palatinatu nostro, adstricti sunt, ut pro solo transitu per viam publicam vectigal pendant. Vid. Strick. U. M. ff. l. 39. tit. 4. §. 6. quod tamen alii tunc demum procedere dicunt, ubi præscriptione & usu hoc fuerit obtentum, alias nec illos teneri, asserentes, Dieteric. in not. ad A. Bull. tit. 17. verb. extorqueri consuetas.

§. X.

Nunc videndum de personis, quæ publica securitate commeatus gaudent & de illis quæ hac non fruuntur. Supra vero jam notatum est, usum viæ publicæ promiscue omnibus sc. tam civibus quam peregrinis patere debere, hinc quæritur, num idem etiam quoad paganos obtineat? Et cum usus viarum sit juris Gentium, quod omni generi humano commune est, infidelitas autem seu paganismus illo jure aliquem non privet arg. l. 3. Inst. de J. & J. & l. 2. de Jur. Nat. Gent. & C. l. 3. & l. 5. ff. de J. & J. hinc ipsis quoque securitas publica inter Christianos omnino competere debet: quod & usu sic servari experientia satis docet. Dubium quidem moveri posset ex Matth. 18. v. 17. ibi: sit tibi velut Ethnicus & 2. Cor. 6. ibi: nolite trahere jugum cum infidelibus; sed ibi familiarior tantum Christianis cum infidelibus conversatio interdicitur, ex qua corruptio morum, doctrinæ, & consequenter labefactatio

tio sacrosanctæ religionis oriri posset, neutiquam vero ab usu juris gentium, quo securitas publica pertinet, gentiles excludit.

§. XI.

De Judæis frustra dubitaremus, num etiam hi securitate publica gaudeant, cum non solummodo commerciorum capaces per R. I. 1551. §. disem zu begegnen cui add. Privilegium Caroli V. Judæis concessum anno 1532. sed etiam in plerisque Provinciis Germaniæ à Statibus Imperii, qui jus recipiendi Judæos, vi superioritatis territorialis, exercent Myller. de Princ. & stat. Imp. part. 2. c. 60. §. 2. ita recepti sint, ut Jure Romanorum vivant & pro civibus Romanis habeantur, qui vocantur Schutz-Juden, unde etiam Privilegiis jurium fruuntur Auth. cit. d. l. §. 9. Strick. U. M. lib. 50. tit. 1. §. 7. & l. 18. tit. 4. §. 12. Vid. omnino Schvveder J. P. part. spec. sect. 2. c. 14. §. 17.

§. XII.

Alia quæstio se offert de hæreticis, num etiam illis securitas publica competere debeat? Et de Jure naturæ & gentium per §. præc. deducta, res omni dubio caret; obstat quidem, quod eos divitandos esse, admoneat magnus gentium Apostolus in Epist. ad Tit. v. 10. sed hoc iterum de familiariori conversatione intelligo. Interim tamen non negandum est summum Imperantem hanc ex jure gentium hactenus descendentem libertatem ob rationes civiles restringere posse arg. l. 6. ff. de I. & I. sic enim Constitutio Imperii contra anabaptistas, quorum seditiosa colluvies omni potestati civili debitum obsequium denegans, superioribus seculis Imperio odiosas turbas dedit, lata est anno 1529. quæ illis, junct. R. I. 1351. §. nachdem auch, ibi: sollen vom natürlichen Leben zum Tode mit Feur, Schwerd oder dergleichen gebracht werden, omne commercium & publicam securitatem aufert: cujus constitutionis extensio etiam tentata fuit contra eos, qui à pietatis studio nomen accepere, sed Fiscali Cæs. processus denegatos fuisse, testatur aut: Delineation: Jur. Cam. pag. 20. quoniam, qui nomen pientissimi profiteretur, adhuc fuit nemo, deinde rei ipsius definitio nondum fuit data, in quam omnes consensissent. Homines vero innocentes vel Theologos publice approbatos sectæ hæreticæ titulo onerare, justitia charitasque non patitur. Controversiæ autem Theologorum Fiscali Cæs. causam non præbent agendi contra alteram partem ex dissentientibus: quamvis fuerint dudum & hodie sint, qui sub pietatis specie fanaticismum tegant aliosque errores pestilentiores, quodsi probati possit, non dubito, quin constitutio illa contra tales extendi possit.

§. XIII.

§. XIII.

Hostes etiam securitate publici commeatus non gaudere, expeditum est; sed ubicunque, non tamen in territorio pacato Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 4. §. 8. juste interfici possunt: In quorum numero & partibus etiam habendi sunt illi, qui hostibus nllo modo auxilium ferunt, & qui illis tales res subministrant, quæ in bello potissimum usum habent V. Grot. d. l. l. 3. c. 1. §. 5. nec non proditores & transfugæ & qui in hostium numerum se conferunt: quales etiam illi sunt, qui cum Turcis aliisve Imp. hostibus nefanda consilia miscuisse probantur, ob id ab Imperio proscriptionem omniumque bonorum confiscationem merentes O. Cam. P. 2. tit. 20. §. weiter. Porro huc pertinent desertores, exploratores, die Spionen, grassatores, vulgo, Strassen-Rauber, freybeuther, latrones, qui invicem differunt, illi enim vias obsident & spoliant absque cæde, latrones vero, die Mörder, simul homicidæ sunt vitamque cum bonis abripiunt, unde etiam illi his mitius puniuntur, v. infra cap. 4. §. 12. Speidel. specul. voc. Freybeuther, item Zingari seu Ægiptii, die Zigeuner P. R. I. 1500. & circumforanei, vagi, absque certo domino grassantes vicatim ac pagatim oberrantes milites, Herrn lose Knechte und Land-Läuffer, de quibus V. Ord. Pol. Francof. de anno 1577. tit. 7. hi enim omnes, ceu publicæ tranquillitatis & societatis, quam latrociniis suis intutissimam reddunt, turbatores & hostes, à societatis humanæ beneficiis omnibus, merito excluduntur. Monopolia exercentes securitate commeatus etiam non gaudent V. Ord. Pol. tit. von Monpolien.

§. XIV.

Speciali huic §. reservavi bannitos & proscriptos Imp. die Reichs-Aechtere. Hi vero, quam primum, mediante sententia declaratoria, quæ requiritur etiamsi delictum sit notorium V. R. I. 1521. tit. pœn. aller Friedbrecher §. und ob jemands 1548. §. und ob jemands O. Cam. l. 2. t. 10. ex gravissimis causis, communi statuum consensu, tales legitime, fuerunt denunciati, omnem viæ securitatem amittunt, ita, ut à quibuscunque libere & impune offendi possint A. B. c. 1. §. 2. unde etiam vulgo Vogelfrey vocantur. O. Cam. p. 2. t. 9. & 10. §. und wo es derhalben. Hinc bannitum occidens ob homicidii pœna prorsus liber esse Vid. tamen Carpz. Pract. Crim. l. 3. pu. 140. n. 142. & executor justitiæ dicitur Bald. in l. reos C. de excus. utut vero sit, mihi omnino tutior & humanior videtur sententia Dieteric. ad A. B. l. c. qui hoc demum in casu resistentiæ armatæ, cæterum autem occisionem banniti plane non permittit, sive ille ob conrumaciam, (quod hodie non nisi in tu-

 toribus

toribus l. curatoribus contumacibus obtinere potest, quia processus banni contra alios contumaces in non comparendo antehac institui solitus, hodie p. R. I. 1654. §. 26. sublatus est) sive aliud delictum, bannitus fuerit; & verba illa, daß er an Leib und Gut frey gemacht wird, hunc habere sensum asserit, ut à quovis capi & superiori sisti debeat bannitus, & sic quoque responderunt Scabini Lipsiens. ap. Carpz. l. cit. n. 141. add. Limn. ad A. B. c. 1. §. 2. obs. 14. nisi crimen perduellionis commiserit bannitus & in litteris banni interfectio banniti permittatur: ubi tamen filio non permissum occidere patrem, nisi in casu l. 35. ff. de religios. Vid. Dieteric. l. c. alios effectus banni Vid. apud. Blum. sub tit. 29. ubi quoque n. 183. legi potest quid circa fœminas hoc in casu obtineat.

§. XV.

Adeo vero exosi sunt banniti, ut etiam ipsorum receptatores, nisi sint parentes, liberi aut consanguinei Schvved. J.P. part. sp. s. 1. c. 21. §. 6. eadem cum ipsis pœna teneantur & in bannum incidant Land-Fried: de anno 1548. tit. Friedbrecher und Thäter nicht zu hausen §. welche Obrigkeit aber, proinde neque hi publica securitate commeatus gaudeant. Hic tamen notandum, posse Imperatorem uni vel alteri Statui, Privilegium concedere, ut bannitos suscipere ac manutenere queat; quale privilegium Comitibus à Leyningen concessum est, ita tamen, ut si quis tales bannitos convenire velit, dicti Comites coram se causam examinent & judicialiter procedant justitiamque debito modo administrent; num vero in tali casu appellare licet bannito? hoc affirmandum videtur per tra. Blum. c. 44. n. 16.

§. XVI.

Visis nunc personis, qui publici commeatus securitate plane non gaudent, porro nunc de restricto usu viæ, seu restricta libertate transeundi per vias publicas quædam dicenda sunt; quemadmodum vero Princeps naturalem libertatem ob publicam utilitatem restringere & quod naturaliter licebat, vetare potest Grot. l. c. cap. 2. §. 5. ita quoque non dubitandum est, quin etiam transitus libertatem, de jure gentium alias omnibus competentem, justis ex causis limitare ac restringere possit. Plures autem causæ denegandi transitum esse possunt, inter quas etiam, justus metus refertur, à Felden. in animadv. ad Grot. d. l. §. 13. Si tamen transituri Principis securitati prospicere & eo nomine cavere parati sint, ita, ut securus esse possit Princeps, nullum sibi damnum inde redundaturum fore, transitus innoxius absque injuria denegari non potest, sed talis denegatio justam belli causam paret; exemplum

hujus

hujus rei exstat in Sacro Codice Deuter. c. 2. v. 26. seqq. cui add. Grot. d. l. c. 2. §. 13. Cavendi autem modi inter alios sunt, ut prius à transituro postuletur transitus, ut inermes aut divisis manibus transmittantur milites, ut impensa transeuntis, is qui transitum concedit, sibi præsidia idonea conducat, ut obsides dentur. Grot. d. l. Si vero Princeps alterius Principis subditis absque justa causa per territorium suum transitum deneget, alter jure retorsionis uti potest. Vid. Struv. de Vind. Priv. ita ut quæ civitas alterius civitatis mercatores à nundinis suis excludit, illius vicissim cives ab hac à suis nundinis jure hoc excludi possint Zas. parat: ad ff. quod quisque jur.

§. XVI.

Cæterum per R. I. de anno 1559. §. Deme zu begegnen, constitutum est, ne exterorum Principum exercitibus iter per Imperii fines concedatur: quid vero & quomodo exteri reges aut Principes, ubi transitum militum per Imperium impetrant, cavere debeant, videri potest in R. I. de anno 1582. §. demnach setzen, ordnen, De transitu militis vero Imperii domestici per ditionem unius vel alterius Status Imp. hæc constituta legimus in Instrum. pac. Westphal. art. 17. §. 9. Ibi: *Quoties milites, quavis occasione aut quocunque tempore per aliorum territoria aut fines aliquis ducere velit, transitus hujusmodi instituatur ejus, ad quem transeuntes milites pertinent, sumtu, atque adeo sine maleficio, damno & noxa eorum, quorum per territoria ducuntur: ac denique omnino observentur, quæ de conservatione pacis publicæ Imperii Constitutiones decernunt & ordinant.* Confer. Multz. Regæs. Maj. Imp. part. 2. c. 5. §. 25. n. 38. Fritsch. tr. de transitu militar.

§. XVII.

Pariter quoque viarum publicarum libertas restricta est, ratione facultatis negotiandi & certarum mercium Vid. Ord. Pol. de anno 1577. tit. 22. quo præcipue pertinent quæ ad militiam seu sustentationem hosti inserviunt, vulgo Contrebande-Waaren dictæ, cujus generis quædam recensentur in l. 4. ff. ad l. Jul. Majest. l. 2. C. quæ export. non deb. l. 11. ff. de publican. c. 6. & 17. x. de Jud. de qua materia speciali dissert. egit Horn. de mercibus illicitis seu contrebandis, add. Strick. U. M. ff. de contrahend. emption. §. 6. seqq.

§. XVIII.

Duas adhuc quæstiones hic subjiciam quæ huc pertinent, quarum prima

sit, num vicinus Princeps vel Magistratus teneatur vicino concedere transitum captivi, die Durchführung seines Malificanten? & quamvis nulla ratio appareat, qua talis transductio denegari aut restringi possit, cum reipub. intersit, delinquentes ad locum perpetrati delicti remitti & ibi puniri, neque per hanc transductionem turbetur jurisdictio, ubi saltem via publica utitur transducens, quæ, præsertim ad justitiæ administrationem & tuitionem reipub. omnibus patere debet, experientia tamen testatur, hoc casu hodie semper à Domino jurisdictionis, literas salvi conductus impetrandas & vice versa reversale, ab illo, qui captivum per territorium alterius ducere intendit, dandas esse, man pflegt um ein Geleit alsdann anzuhalten und schrifftliche reversalien von sich zustellen. An vero, qui in alieno territorio, per quod ducitur captivus, evasit, ibidem, postquam se in libertatem recepit, capi de novo possit, quæritur? & negat Wehner ap. Reincking. de regim. secul. & Ecclesiast. lib. 2. class. 2. c. 17. §. 97. sed affirmat dict. Reincking. dicens: si maleficum & violatorem pacis pub. quem quis cœpit in suo territorio prosequi, in alieno etiam persequendo capere possit, ita tamen, ut ubi captus est, juri sistat, multo magis eum, qui jam in suo captus in alieno evasit, ad hunc effectum, ut ibi, ubi denuo captus est, juri sisti possit, capi licebit. Alias etiam è vestigio post perpetratum in suis finibus delictum, in vicini territorium fugientem, in sequi & ibi in continenti comprehendere licet, ita ut sic apprehensum, Domino loci ad petitionem remittere necesse non sit, sed ipse in territorio suo, ubi persequendi factum est initium, puniri potest Myler de stat. Imp. c. 48. n. 9. modo non semel persecutionem effugerit. Vid. tamen Struv. Ex. 49. th. 13. & ibi alleg. Math.

§. XIX.

Altera est quæstio num absque consensu Magistratus, per ejus territorium funus ducere liceat? & negat Klock. vol. 1. consens. 10. n. 477. affirmat vero Strick. U. M. ff. de religios. ubi tamen hoc denunciandum esse asserit, non quidem ut funus ducere liceat, sed ut constet, an non morte violenta perierit defunctus, quo ille magistratus in authorem criminis inquirat. Funus vero non nisi exsoluto vectigali speciali, dem Toden-Zoll, de loco ad locum transvehi posse, immerito prætendi, probavit Beyer. in possit. ad ff. de religios.

§. XX.

Antequam hoc caput finiamus circa usum viæ adhuc notandum est, viatoribus, equitibus vel aurigis, per terram transeuntibus; quanto propinquius secun-

ſecundum viam ſtantes, in loco amplecti potuerint, ad refectionem equi, ipſi equo ſuo porrigere, ut & herba, viridique ſylva pro ſua commoditate & uſu neceſſario ſine vaſtatione, uti licitum eſſe per Conſtit. Friderici II. feud. 27. in f. quam tamen conſtitutionem de ſolo neceſſitatis caſu intelligendam ratio & conſuetudines Germaniæ volunt; extra hunc caſum enim frumentum depaſcens ſed ſecum non auferens, damnum ſarcire debet, Sächſiſches Land-Recht l. 2. art. 29. & 40. & quamvis hodie Germania vicis & cauponis ubique fere abundet, hanc tamen conſtitutionem plane evanuiſſe dici non poteſt.

CAPUT III.

DE REFECTIONE VIARUM PUBLICARUM.

§. I.

REipublicæ intereſſe tritas eſſe vias & commodas, apud omnes in confeſſo eſt: ſic enim quivis absque incommodo iter facere poteſt, & commerciorum uſus promovetur, imo in ſpecie Principis intereſt, ſi commodæ in ſuo territorio habeantur viæ, cum enim ita commerciorum uſus maxime promoveatur, dum viæ tales magis frequentantur, fiſci quoque reditus reſpectu vectigalium inde maxime augentur.

§. II.

Hinc eſt, quod Romani, tantam curam circa vias publicas adhibuerint; erant enim electi nonnulli & conſtituti penes quos viarum cura eſſet, uti patet ex l. 18. §. 15. ff. de munerib. & honor. & in dies in uſu fuit, per conſiliarios purgare vias quibus negotium fuit, per dena ſtadia ſingulos lapides locare & diverticula & diſtantias adnotare Alex. ab Alex. l. 3. gen. dier. c. 13. In ſternendis vero viis non minus utilitatis quam pulchritudinis venuſtatisque ratio habebatur à Romanis, ita, ut tanta olim viarum per totam Italiam magnificentia fuerit, ut ſtraturam earum tribus fabricarum Romanæ Reipub. miraculis adnumeret Halicarn. l. 11. Rom. antiq.

§. III.

Hodie in bene conſtitutis Rebuspub. adhuc idem fere obſervatur, ſicuti in Regno Franciæ adhuc hodie peculiaris regius magiſtratus conſtitutus eſt, qui

curam viarum exercet, qui vocatur, *Maitre des ponts, passages & chemins.* Et dolendum sane, in Imperio nostro Rom. Germ. non meliorem curam viarum haberi, quæ sæpius, exiguis sumptibus parcendo; maximo commerciorum incommodo in ipsum damnum statuum Imp. quo fructus vectigalium non parum minuuntur, qui tamen, si viæ commodæ & stratæ sustinerentur, maxime augeri possent, in plerisque eorum territoriis, negliguntur: ubi tamen interdictis compulsorialibus locum esse contra eos, quos vias sartas tectas tenere & conservare decet, tradit Mindan. de Interdict. tit. 3. n. 52.

§. IV.

Quis vero vias reficere teneatur? DD. non conveniunt, aliis hoc onus Principi sive Territorii Domino, aliis vero subditis illud incumbere, statuentibus. Illi sententiæ suæ argumenta ponunt in variis emolumentis & fructibus, ut v. g. pœnis pecuniariis ob delicta in eis commissa & multis aliis utilitatibus, quas Domini territoriales è viis percipunt, dicentes, æquum esse, ut qui habeat commodum etiam ferat incommodum, quo etiam facit Constit Friderici II. Imp. de anno 1236. n. 3. apud Goldast. Constit. Imp. 1. p. 28. qua expresse cavetur, omnes, qui vectigalia percipiunt etiam vias, pontes reficere debere. Hi è contra ad Jus Romanum provocant, quo refectio viarum inter munera personalia refertur l. 1. §. 2. ff. de muner. & honor. & subditis incumbit l. 18. §. 15. d. t. alii denique censent cum itinera, viæque publicæ nullius in bonis esse credantur, jure quoque gentium vacent omnibus & usui omnium æque subjaceant, omnes cujusque territorii incolas ad eas reparationes, absque ullo personarum discrimine, pro sua quemque facultate obligari, ita ut etiam Clericos p. l. 7. C. de SS. Eccles. Nov. 131. domusque divinas & venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo adscriptas esse, testentur Imperatores in l. 4. C. de privil. dom. August. ibique Perez. in comment. n. 4.

§. V.

Ego, ut inter hanc DDrum. pugnam meam hac de re sententiam apperiam, sic capio. Ante omnia statuta locorum item mores & consuetudines hac in parte sequendas esse. Cæterum autem, quemadmodum hodie status Imp. vi superioritatis territorialis tam ordinarias quam extraordinarias collectas, ubi utilitas & necessitas id postulat, subditis imperare possunt p. R. I. de anno 1654. §. 181. und gleichwie Capit. Leop. Joseph. art. 3. verbo quoties id necessitas utilitasque publica deposcit, præjudicium Cam. Imp. in caa. Comitum ab Ha-

ab Hanau hanc in rem exhibet Schweder. J. P. p. ſ. ſect. 2. c. 15. §. 3. ita etiam ob refectiones viarum & pontium, ceu re utili & neceſſaria, ſubditis collectam indicere poſſe, non dubitandum eſt, l. pen. C. de priv. Dom. Auguſt. ſic, ut forenſes, qui agros poſſident in diſtrictu illius civitatis, cujus viæ reficiendæ vel reparandæ ſunt, hoc nomine collectari poſſint, cum non minus uſus & neceſſitas indicendi etiam ex parte ipſorum forenſium interveniat l. 11. ff. de vacat. muner. l. 14. §. 2. & l. ult. §. 22. ff. de muner. & honor. Bocer. de collect. c. 9. n. 18. Frantck. var. reſol. l. 28. n. 36. Hodie etiam ad reficiendas vias, operas ſubditis ſæpius per præfecturas indici, obſervare licet.

§. VI.

Pii tamen Principes, qui oves tondere non vero deglubere, demum permitti, intelligunt, præcavere ſcient, ne miſelli homines, qui alias hodie fere ubique collectis ordinariis ſatis gravati, ut ipſis ſæpe vix tantum ſuperſit, unde ſibi ſuisque miſere victum & amictum quærant & exhibeant, his & taliusmodi collectis extraordinariis nimis graventur. Igitur Status Imp. artificiales & majores expenſas, quæ in reparandis viis deſiderantur, à viatoribus facile & ſine incommodo ſubditorum jure colligere poſſe credo Vid. Ziegler. de Jur. Majeſt. cap. 17. §. 14. n. 19. & ſupra §. 7. cap. 2.

CAPUT IV.

DE JURISDICTIONE IN VIIS PUBLICIS.

§. I.

VIæ publicæ (quarum conſtituendarum poteſtas eſt penes Principem ſeu territorii Dominum, qui talem conſtitutionem edicto publico ſeu proclamatione omnibus notam fieri curat. V. Lim. ad Capitul. Carol. V. p. 250. ubi tamen notandum præſcriptione immemoriali ſi per longiſſima tempora accedente Principis ſcientia per certam territorii partem, commeatus publicus exercitus fuerit, viam publicam etiam conſtitui poſſe arg. l. 1. §. ult. ff. de aquæ & aq. pluv. arc.) inter regalia referuntur, vel potius rectius loquendo habentur ſeu poſſidentur jure regali i. e. ſuperioritatis territorialis, quamvis in cap. un. quæ ſint regalia 2. F. 56. non referantur, etenim præter ibi relata adhuc multa alia jura ſtatibus Imp. competunt; & pars jurisdictionis territorialis viæque publicæ adnexum habetur Jurisdictio in viis publicis, & quæ inde profluunt Jura regalibus Juribus adſcribuntur.

§. II.

§. II.

Inter quæ non ultimo loco habendum Jus conducendi per vias publicas euntes redeuntesque seu securum transitum præstandi, quod vulgo vocatur, die Gleitliche Obrigkeit, die Gleitliche Herrlichkeit auff freyer Kayserlichen Heer und Reichs-Strassen zu glaiten. Hoc jus vero procul dubio ad securitatis publicæ tuitionem & ut eo certior viarum publicarum securitas sit, introductum est R. I. de anno 1442. §. 5. quo cavetur, ut in diffidationibus publicis tum temporis usitatis, securitas domestica & itineris mercatoribus & vectoribus mercium præstetur, quod Grotius de J. B. & P. l. 3. c. 11. § 12. ad æquitatem naturalem refert, ex infirma illa ratione, quod horum vita ab armis aliena esset; nam quamvis vita mercatorum ab armis aliena sit, nervum tamen belli opes suppeditant Bejer. Posit. jur. Germ. lib. 1. c. 14. §. 7.

§. III.

Hodie post pacem publicam introductam non tantum mercatoribus aliisque in all. R. I. §. 5. relatis, verum promiscue omnibus conductus præstatur R. I. de anno 1548. §. ferner zu noch mehrer: imprimis autem hodie nundinarum tempore, certi stipendiarii, Ausreuther, Strassen-Bereuther item Geleits-Reuther in Statuum præsertim majorum territoriis, vias securas reddere & viatores conducere debent. Hujus vero Juris effectus potissimum in eo consistit, quod conducens teneatur defendere eum quem conducit & ab omni violentia & injuria conservare tutum R. I. de anno 1555. §. nachdem aber R. I. 1559. §. damit dann quæ præstatio securitatis si denegetur, Mandata compulsorialia-pœnalia S. C. contra denegantes in Cam. Imp decerni, testatum facit Sixtin de regal. c. 2. n. 37. Rosencorb. Obs. Practic. c. 18. n. 3. & Mindan. de Mandat. jud. l. 2. c. 57. n. 5. quæ etiam tunc impetrari possunt, ubi usus viæ & itinera impediuntur, hæc enim & talia facta sunt contra expressas constitutiones Imp. proinde omni Jure prohibita, in quibus à præcepto recte inchoatur O. Cam. p. 2. tit. 22. Rosenth. de feud. c. 5. conc. 21. n. 3. Sixtin. l. c. præjudicium refert Mindan. l. c. in caa. civitatis Eslingensis contra Ducem Wurtenbergiæ, ubi hic civibus Eslingensibus nundinas frequentaturis, securitatem denegans, merces restituere, tum &, ut in posterum ad nundinas ituris, prout in Imperio receptum esset, salvum conductum præstaret, jussus fuit. Vid. Blum. Proc. C. tit. 34. §. 127.

§. IV.

§. IV.

Hic etiam quæri solet, num Dominus territorii viatoribus à latronibus spoliatis, damnum sarcire teneatur? quod plures quidem affirmant, sive transvehentes impetraverint expressum salvum conductum sive non impetraverint, modo tamen vectigal solverint Lauterb. Comp. tit. de publican. & vectigal. sub f. & ibi alleg. & pro hac opinione adducunt R. I. de anno 1559. §. damit dann die Obrigkeit ubi ita: setzen ordnen und wollen, wofern von Churfürsten, Fürsten, Ständen, oder einiger Obrigkeit, die seye wer Sie wolle, jemands Geleit gegeben und derselbige darüber auff derselben Churfürsten, Fürsten Stände oder Obrigkeit Geleit-Strassen thätlich angegriffen und beschädiget, daß der Stand, so solch Geleit gegeben, nach Gestalt solches Geleits dem beschädigten seines Schaden Erstattung zu thun schuldig seyn solle.

§. V.

Verum enim vero, hoc ita indistincte cum cit. DD. haud asserendum esse arbitror; textus enim allegatus loquitur saltem de eo casu, ubi juxta mores veteres in Germania salvus conductus, ein lebendiges Geleit durch Geleits-Reuther, actu præstabatur, propter Jus manuarium dem Faust-Recht, variasque deprædationes, quæ illis temporibus turbidis nimis frequentes erant; quod autem ad hodierna tempora, ubi Principes Imp. vectigalia jure superioritatis territorialis magis in compensationem impendiorum ad reparationem viarum necessariorum exigunt, applicari vix potest, nec eapropter Dominus territorii viatoribus damnum restituere tenetur, sed sufficit modo Magistratus in inquirendo adversus deprædatores omnem diligentiam adhibeat Str. U. M. ff. l. c. §. fin. eleganter tamen distinguit Carpz. in Pract. Crim. q. 91. n. 61. sqq. quod tunc demum Dominus territorii ad resarciendum damnum obligatus sit, si spoliatis salvum conductum dederit, quo fine qui statuum territoria transmeant, nomina sua edere & eo nomine certum censum persolvere debent, quod nobis dicitur, das Geleit lösen; tali igitur casu, ubi hæc intervenerunt & quis hunc censum persolvit (quod hodie nundinarum tempore ab omnibus, nisi qui sunt privilegiati, quales omnes, qui à vectigalibus immunes sunt Vid. Str. U. M. ff. tit. de vectig. §. 8. seqq. fieri debet) & via regia usus fuerit, alias enim sibi ipsi imputet, quod per insolitas vias vagatus damnum passus sit, & Dominus territorii salvum conductum dederit, vid. sup. §. 3. init. hic damnum rapinæ, quod tamen legitime & sufficienter probari debet, neque viatorum

Juramento ſtatur Berlich. Deciſ. aur. 88. n. 43. iter facientibus utique reſarcire tenetur, quod etiam verba ſupr. all. R. I. expreſſe indicant: wofern von Churfürſten, Fürſten, Ständen oder einiger Obrigkeit jemand Gelaid gegeben: nec aliter intelligendum eſt præjudicium ap. Gail. l. 2. ob. 46. Hodie igitur extra nundinarum tempus, wann das Gelaid ſchon wieder abgeführet worden, quo transmeuntes mercatores regulariter expreſſe non conducuntur, quamvis vectigal ſolverint, ſi in via ſpoliati ſint, à Domino territorii quicquam damni perpeſſi nomine exigere vix poſſe, mihi perſuadeo.

§. VI.

Electoribus etiam eorumve nunciis ad electionem Regis Romani euntibus quamvis ſint inimici, conductus a ſtatibus non ſolum in A. B. tit. 1, expreſſis verum ab omnibus aliis etiam, præſtari debet; quamvis enim alias nemo teneatur hoſti vel inimico tranſitum per territorium ac ditiones ſuas concedere, hoc tamen aliter ſe habet eo in caſu, ubi conductus neceſſario Reipub. bono præſtandus venit. Et quidem conductus Electoribus præſtari debet ſub pœna amittendi pro ea vice ſuffragii ſi ſit Cœlector & perjurii, privationis Feudorum & proſcriptionis, ſi fuerit ex Ordinibus qui negaverit ttanſitum; conductus autem hic tam præſidio dato quam diplomate ſo wohl ſchrifft als lebendiges Gelaid, etiam in deviis, ſi velint, Electoribus præſtari debet Dieteric. & alii Commentat. ad A. B. l. c. ubi tamen pag. 17. monet, hodie ob firmatam pacem publicam in Imperio conductum Elector. tam accurate ibi deſcriptum, fere in deſuetudinem abiiſſe.

§. VII.

Alii etiam Principes alienum territorium tranſeuntes conduci ſolent. Verum hic conductus ex alia ratione & maxime ob metum magni plerumque armati comitatus, quem potentiores præſertim Principes, alienum territorium tranſeuntes, ſæpius ſecum ducunt, invaluiſſe videtur, ita ut hic conductus quaſi inſtar cautionis ſit & ſignum, quo potentiores ejusmodi tranſitu ſeſe prohibitos intelligant, niſi veniam transeundi à territorii Domino impetraverint: notabilia hanc in rem ſunt verba Electoris Saxonici apud Hortleder. de Cauſ. Bell. Germ. c. 8. Vid. Strauch. Exerc. Exot. 11. §. 2. qui inde etiam Principem principi damnum, quod hic in transductu paſſus eſt, reſarcire non teneri aſſerit. Diſſent. Dieteric. l. c. ad §. quisquis.

§. VIII.

§. VIII.

Salvus conductus quem Magistratus ad innocentiam & defensionem deducendam & edocendam delinquentibus concedunt & quem Camera Imper. quibusdam in casibus concedere solet, non est hujus loci.

§. IX.

Conducendi Jus Status Imperii regulariter tantum in suis territoriis exercere possunt & non nisi Domino territorii competit R. I. de anno 1548. §. ferner zu noch mehrerer R. I. 1555. §. nachdem aber ein jeder & 1566. §. nachdem aber, Jus enim hoc territorio cohæret & viæ publicæ sicuti olim populi sic hodie Domini territorii universalis sunt arg. l. 3. ff. nequid in loc. pub. Gail. 2. obs. 64. n. 2. interim tamen sæpe Principes Imp. in alieno territorio vicino jus ac regale viæ publicæ & juris conducendi (cui tunc etiam inspectio viarum & pro illo fine das Bereuthen der Weege und Haltung der Gelaits-Reuther, item indagatio latronum & similium, das Recht des Ausstreiffens sc. intra non tamen extra terminos viæ publicæ inest, Laud. Hailbronn. l. c. & Schvved. J. P. P. S. S. 2. c. 14. §. 13.) vel præscriptione aut pacto speciali quasi servitutem realem sibi acquisivere Maul. de Jur. cond. tit. 2. n. 38. seq. ubi gravissima oritur quæstio, an qui in alterius territorio habet regale viæ publicæ & juris conducendi, possit simul cognoscere de facinorosis illosque punire, an potius punitio atque cognitio hæc spectet ad territorii Dominum? & quamvis in pto. Juris verior esse videatur illorum sententia, qui cognitionem hanc & punitionem territorii Domino tribuunt, cum ex actu des Gelaits inferri non possit ad alios jurisdictionis & juris territorialis actus Klock. vol. 1. cons. 9. n. 96. & cons. 29. n. 352. seqq. sed hic potius regula obtinere debeat, tantum possessum quantum præscriptum vel pactum; consuetudini tamen Imp. propius accedit opinio contraria; cum enim securitas illa & defensio, quæ Juri Conductus inest, supr. §. 3. aliter consistere non possit, idcirco juri, salvi conductus punitio facinerosorum quoque necessario inesse debet Sixtin. de regal. l. 2. c. 1. n. 39. quæ opinio præjudiciis nititur, quale in caa: Brandenburg contra Nürnberg, die frayßliche Obrigkeit belangend, adducit, T. ylm. de Benign. Syntag. 2. dec. 4. vol. 3. num. 77. & 78. Vid. Carpz. Pract. Crim. q. 110. n. 39. Knichen de jur. territ. c. 4. & ita coercitionem criminum in alieno territorio commissorum, non indistincte tamen ad conducentem, sed illorum saltem, quæ sunt commissa in via publica auff der Geleits-Strassen, & in ipso actu conducendi, reliqua autem crimina extra viam publicam com-

missa ad Dominum territorii spectare, non inepte statuit Bidenbach. quæst. nobil. 12. n. 4. quod ita etiam obtinet, ubi Serenissimus Elector Palatinus in alienis territoriis, jus conducendi habet; apponam ipsa verba Laudi Hailbronn. quæ pag. 9. ita se habent: *delinquentium dum conductus præstatur, tam eorum qui conducuntur inque eorum comitatu sunt, quam qui conducunt, coercitio & pœna ex jure conducendi esto Serenis. Electoris. Quicquid autem ultra hac jurisdictionis Civilis seu Criminalis est, ex causa conductus non competit, sed iis, quorum vel jus viæ publicæ vel circa hanc territorii quibus & in via delinquentium punitio ut & cadaverum ablatio sine impedimento relinquatur*; ita tamen ut ad pacta & conventiones potissimum respici debeat, dict. Laud. p. 7. in med.

§. X.

Quæritur etiam, si in confinio territoriorum cadaver interfecti reperiatur, quod utriusque solum parte aliqua corporis premat, ita, ut v. g. caput viam publicam, reliqua vero pars corporis & pedes territorium circum jacens premerent, cuinam de crimine cognoscendi & quæ huic annexa sunt, faciendi jus competat; neque ubi caput neque ubi pedes neque ubi pars corporis læsa requiescit, uti putat Limn. de 1. P. l. 14. c. 8. n. 100. hic spectandum esse, sed potius ex conjecturis, de quib. vid. Bocer. de regal. c. 2. n. 148. quibus in hoc vel illo loco homicidium commissum intelligitur, rem decidendam esse, respondeo cum Carpz. Pr. Crim. q. 110. n. 34. & ita tota hæc res, judicis arbitrio, qui circumstantias, indicia & præsumptiones cujusque facti occurrentes considerare debet, relinquenda est. His vero deficientibus; ad utrumque Dominum cognitio pertinet id ibid. quod & ob paritatem rationis etiam illo casu obtinere arbitror, ubi homo non occisus sed morbo aliquo extinctus, in confinio reperitur.

§. XI.

Quanto sanctior autem securitas viarum esse debet, eo gravius etiam delicta in eis perpetrata puniuntur. Illam enim qui violat, Principis authoritatem maxime offendit ac ea propter non immerito severe punitur. Olim quidem, ubi jus manuarium das Faustrecht in usu fuit, latrocinia & grassationes impune exercebant germani, quod vocabatur aus dem Steigreiff sich nehren, cui rei præcipue nobiles, quos ideo laudat Casp. à Lerch. à Speid. voc. Steigreiff merito reprehensus, juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa

causa incumbebant, ea quidem licentia & honestatis specie, ut ii, qui ducem sequi detrectarent, in desertorum ac proditorum der Verräther und Schelmen numero ducerentur, omniumque rerum iis postea fides abrogatetur, donec tandem pax publica huic malo finem imposuit.

§. XII.

Sed hodie adeo exosum est hoc delictum, ut etiam nobili & clerico viatorum grassatori, pœna ordinaria imponatur nec propter nobilitatem aut dignitatem personæ minuetur Covarruv. l. 2. varres. c. 9. n. 4. nec etiam in pœna decernenda quantitas & valor rei ablatæ in considerationem veniat Stephan. in not. ad Constit. Crim. art. 126. unde in Gallia grassatores, qui viatori etiam tantillum pecuniæ in via regia extra urbes vi armata extorquent, ultimo supplicio afficiuntur. Pœna vero grassatorum est gladii Const. Crim. l. c. quæ tamen non obtinet, nisi hæc singula concurrant, sc. ut cum ferro aggrediantur & spoliare instituerint, Steph. l. c. Hæc pœna tamen quoque locum habet in sola viarum insidiosa obsessione in der Weeglagerung oder halt, etiamsi quis nihil fecerit & in actum perduxerit, quoniam qui homines in viis derobandi & occidendi gratia insidiose expectant ad actum proximum accedisse censentur, actus proximus autem in delictis atrocioribus pro consummato habetur V. Berlich. Conc. part. 4. c. 20. n. 4. si tamen non dolose quis, qui dolus manifesto probari & doceri debet, caa. prædationis vel diffidationis vias obsederit nec deprædationis proposito vere constet sed dolus tantum per conjecturas probetur, pœna ordinaria non habet locum, & ita in Cam. Imp. in caa. Waldeck c. Bayern judicatum fuisse testatur Gilhaus. in sua atb. jud. crim. c. 2. tit. de pac. pub. 9. n. 4. Si quis collectis & coadunatis hominibus armatis dolo malo & præcedente deliberatione vel in sylvis vel albi, juxta itinera publica viatores expectet & eos ex insidiis offendat, etiamsi nec animum rapiendi & spoliandi habeat, prædicta pœna gladii imponitur, vel si qui saltem consentiant & consilium ad insidiosas viarum obsessiones ex prædationis caa. præbeant Gail. de pac. pub. c. 1. n. 93. & c. 7. n. 24.

§. XIII.

Non solum autem si quis caa. prædationis vel diffidationis sed etiam ex aliis similibus causis vias obsidet & aliquem insidiose expectat, dicta pœna locum habet, sic, si quis in sylvis & aliis locis occultis latet & expectat ut

matronam vel puellam aliquam ad suam libidinem abripere possit, is ob solam viarum obsessionem, etiamsi propositum ad effectum non produxerit, pœna gladii puniendus est, gravius enim delictum est alicui stuprum inferre quam eum bonis suis spoliare l. isti quidem 8. §. 2. ff. quod met. caa. Si quis vias, angiporta, trivia & alia loca oppidorum vel pagorum non ex caa. prædationis vel diffidationis sed ob aliam causam, veluti inter compotatores, ubi rixa inter eos orta se domum conferunt, ut plurimum de nocte fieri consuevit, occupat & obsidet, distinguendum est, an ejusmodi occultatores & viarum occupatores insidiosi, prætereuntes leviter saltem vulneraverint aut pulsaverint, an vero gravis fit vulneratio aut pulsatio, & illo in casu carcere vel temporali relegatione puniuntur, hoc vero eis quandoque manus amputantur & in perpetuum exilium mittuntur; hæc tamen pœna quoad nobiles moderari & in arbitrariam converti potest. Vid. Berl. l. 2. c. n. 15. seqq. ubi n. 20. usque 23. tradit, quæ sint modicæ aut leves & majores & graves vulnerationes. Complices & alii qui auxilia circa ejusmodi vulnerationes præstiterunt eadem quoque pœna tenentur. In genere notandum omnem injuriam in via publica illatam graviore animadversione coerceri, sic osculum saltem invitæ virgini in via publica ereptum, mulcta & simul relegatione ad 30. milliaria punitum esse, refert Math. de Afflict. dec. 275. quin, illum, qui mulierem nuptam in via publica per vim osculatus fuerat, gladio punitum esse, testatur Clar. in Pract. Crim. §. f. q. 83. vers: osculum inferens, quæ tamen pœna nimis dura atque delicto minime proportionata videtur.

§. XIV.

Coronidis loco adhuc notare lubet: Castro cum suis pertinentiis ac omnimoda jurisdictione concesso, non etiam jurisdictionem circa viam publicam concessam esse, intelligi, adeo nec cognitionem criminis & quæ inde dependent ad illum cui sic Castrum concessum, sed ad Principem territorii universalis pertinere Stephan. tr. de jurisdict. l. 2. part. 1. c. 7. n. 400. seqq. & plur. alii. Non enim in generali concessione veniunt ea, quæ non nisi specialiter imperari possunt. auth. cit. l. 1. c. 2. n. 8. seqq. Ultimo, si via publica inter duo territoria existit, illa utrimque vicinantium communis est Merchelbach. ap. Klock. t. 1. cons. 5. n. 7. hinc quoque omnia emolumenta cæteraque jura communia sunt.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Successor ex pacto & providentia in feudo regali factum antecessoris præstare ac proinde ad æs alienum defuncti solvendum tenetur.

II.

Princeps Imperii in liberos suos nullam habet jurisdictionem ita ut ne quidem filium delinquentem pœna aliqua præsertim corporali afficere possit.

III.

Præscriptio immemorialis in revocatione bonorum familiæ alienatorum Agnatis successoribus denen noch nicht gebohrnen *Posteris, nocet eosque penitus excludit.*

IV.

Vidua illustris Imperio immediate subjecta per l. un. C. quand. Imper. inter pupill. & Vid. æque electionem & variationem fori habet, quam Vidua civica conditionis.

V.

Sponsalia à parentibus liberorum nomine sive puberum sive impuberum, inita, rata & firma non sunt nisi à liberis puberibus expresse vel tacite proprio consensu ratificentur.

VI.

Hinc si pater Illustris nomine filii adhuc in cunis existentis sponsalia contraxit, hic pubes factus non tenetur adimplere hæc sponsalia.

VII.

Minori pœnitenti quod ætatem anticipatam impetraverit adhuc contra ipsam veniæ ætatis impetrationem restitutio in integrum ex justa causa concedi debet.

(o)